

Peter Eberbach<sup>1)</sup> an Vadian.*Olmütz. 1510. September 11.*

Klage über das Ausbleiben einer Antwort. Schmerz über den vorzeitigen Tod des Arbogastes. Drei Disticha auf dieses Ereignis. Absicht, nach Wien zurückzukehren.

S. P. D. Iam tertium ad te scribo, mi Vadiane, neque abs te vel literarum vel salutis quidpiam accipio, et quod omnium maxime me angit, de salute tua nihil pensi intelligere possum. Quæ autem humanorum negotiorum sit instabilitas, quæ infirmitudo, qui non videat, is certe prorsus nihil videbit. An non Arbogastes<sup>2)</sup> noster (cuius ad recordationem ingenti dolore afficior), an, inquam, non, quando isthinc proficiscebar, mente erat hilari, valetudine secunda, corpore vegeto, sensibus integris, ætate florenti? Erat, inquam, ut qui maxime. Sed ecce, quo eum mortis violentia traduxit? Non possum equidem non ex intimis cordis penetralibus ingemiscere, quotiescunque naturæ nostræ imbecillitatem mecum reputo. Quam vere Euripides: terram nihil nutrire homine imbecillius! Neque

Lucianus<sup>3)</sup> inepte, cui res omnes humanæ a filo dependere videbantur. Verum ad eliminandum nigrorem communem talia non faciunt. Arripiamus potius lætiora, arbitantes, Arbogasten nostrum (sicuti certe est) ab exilio ad patriam, a carceribus ad metam, desudato egregie omni pulvere, repedasse, morte quoque duce in meliorem commigrasse habitationem, veluti nos hexasticho, tametsi non satis elaborato, expressimus, sumpto ab Iasonis Pheræi historia exemplo, cuius vomitam sive fistulam ab omnibus medicis deploratam, veluti post Ciceronem<sup>4)</sup> et Valerium<sup>5)</sup> Plinius<sup>a)</sup> noster memoriæ prodidit, hostis in acie exitiali sanavit vulnere. Quo Arbogasten loquentem facimus similiterque sibi ab Atropo factum esse verantem. Id autem est:

Fistula marcenteis rodebat Iasonis artus

Reppulit et medicas frustra petita manus.

At manus, exertum quæ cordis strinxit in oras

Mucronem, hæc illi vita salusque fuit.

Sic fera florentis rumpens mihi stamina vitæ

Atropos in sacrum transtulit Elysium.

Rogabam autem superioribus literis, ut certiozem me redderes de rebus Viennensibus<sup>b)</sup>. Nunc autem idem abs te commendo<sup>c)</sup>; atque id eo impensius, quod non (ut animo conceperam) Lipsim petam, sed Viennam repetiturus sum. Velim itaque primum certiozem reddas, numquid diutius isthic mansurus sis. Odoratus sum enim nescio quid, velle te Cracoviam commigrare. Quod si ita esset neque aspernareris consuetudinem nostram, libentissimus equidem et tecum et cum Mario nostro eo proficiscerer. Sin autem Viennæ commoraturus esses, itidem rogo certiozem facias. Cuperem in contubernio tuo vivere. Ad hæc rogo scribas, quod ad tempus lectiones publicæ<sup>d)</sup> prosequare. Tempus, cuius iactura nihil est perniciosius, diutius hic conteram.

Vale mi Vadiane et rescribe. Raptim Olomuzæ, III. Eid. Sept. DDDX. Marium saluta.

*P. Aperbacchus.*

Ioachimo Vadiano, magistro doctissimo et perinde famigeratissimo, amico selecto.

Zu Wienn auff dem alten Fleischmarkt.

a) „Plinius“. — b) „Viennensibus“. — c) „comendo“. — d) Für „publicæ“? — *publicas?*

1) Vgl. zu Brief 2. — 2) *Arbogast Strub* von Glarus, welcher, den Studien lebend, im Jahre 1510 in Wien starb. — 3) Luc. Charon 16. — 4) Cic. de deor. nat. III, 70. — 5) Val. Max. I, 8 ext. 6. — 6) Plin. nat. hist. VII, 166.

Anhang: 3-7